

facile fidē uerbis diuinis adiungunt: mali contra ita sunt cupiditati addicti, ut non modo omnem orationem cupiditati contrariam aspernentur, sed etiam irrideant: et diuinorum hominum prędictiones delirantium somnia putent. Quod si aliquid aduersi rebus eorum incidat, non ij sunt, qui suspicentur, esse se propter offensum numen afflictos: sed rerum humanarum conditioni, & fortune inconstantie, & temeritati, non diuino decreto, & sententię tribuendum existimant. Quo circa periculum erat, ne cum Ierosolyma hostium armis excisa corrueret, cędeque, & incendio vastaretur, essent aliqui tanta contumacia sceleris obcecati, qui numinis obliti totum id ad necessariam, atque fatalem humanę nature conditionem reuocarent. Dixissent enim fortasse, Nihil nouum, neq. sapientibus inopinatum nobis accidit: sed eandem omnino conditionē, quę cunctis hominibus, & nationibus, & imperijs est quasi communi lege proposita, postquam res nostrę conseruare, pertulimus. Quę enim gens est, quę regio, quod Regnum, & Imperium tam rectis institutis, & legibus fundatum, aut tantis opibus stabilitum, quod vno, eodemque statu diu manere possit? Hęc enim sunt ludibria fortune, ut postquam Resp. ad summas opes peruenerint, repente concidant: aliorumque armis opprimantur, quarum opes erant antea ualde contemnendę. Sic enim alię conduntur, & alię crescunt, alię decrescunt, alię turbulentis tempestatibus agitantur, & malorum omnium fluctibus obruuntur. Nec fuit unquam natio ulla tam potens, quę statū suum diu tueri, atque conseruare posset. Neque nos solos hęc dira calamitas, qua de statu deiecti sumus, afflixit:

sed